

quantum est affirmativum, obligat quidem semper, sed non pro semper. Hinc de fide non in forma juridica interrogatus, potest tacere vel obscure respondere. Non est enim generatim verum quod interrogatus ab iis qui auctoritatem publicam exercent, teneatur fidem profiteri, nisi hæc professio ex adjunctis necessaria fiat, ne adstantibus videatur fidem negare. Multo magis fas erit alicui nolle privatorum curiositati satisfacere: nisi rogatus de fide in odium religionis, sic agendo, videretur veritatem negare; quod ex circumstantiis judicandum est.

Dico 3^o: Ad fidei professionem externam jure ecclesiastico tenentur, sub peccato mortali, ex concilio Trident., sess. xxiv, cap. 12 de reform., sequentes:

« Provisi de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses, in manibus ipsius episcopi, vel, eo impedito, coram generali ejus vicario seu officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, et in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant ac jurent. Provisi autem de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, non solum coram episcopo seu ejus officiali, sed etiam in capitulo idem facere teneantur. Alioquin prædicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. » — Ex tenore hujus decreti, non tenentur ad dictam professionem provisi de canonicatibus in ecclesiis tantum collegiatis, vel de beneficiis simplicibus. — Præcepit insuper sacrosanctum concilium, sess. xxv, cap. 2 de reform., ut patriarchæ, primates, archiepiscopi et episcopi eandem professionem fidei emittant in prima synodo provinciali in qua ipsi interfuerint; item ut idem faciant in prima synodo diocesana in qua convenire debent cæteri omnes qui beneficia ecclesiastica sunt habituri. Hanc legem extendit Pius IV ad omnes prælatos religionum, etiam militarium, et Pius V ad omnes promovendos in doctores, magistros, regentes et professores. Monet De Angelis, *Prælect. juris canon.*, lib. I, tit. 1, n. 2, « constitutionem Pii IV non esse usu receptam quoad illos prælatos qui non a S. Sede, sed

a superioribus suis vel a capitulo regimini regularium præficiuntur. » Sanchez vero, c. 3, n. 4, dicit decretum Pii V non obligare ubi usu non fuit receptum. Quantum ad pœnam fructus non faciendi suos in omittentes professionem fidei a Trident. latam, æstimat S. Ligorius, lib. III, n. 11, ad eam hos non teneri ante sententiam.

Notandum est hanc professionem fidei faciendam esse secundum formulam a Pio IV præscriptam, in qua inserenda est, jussu Pii IX, expressa mentio de his « quæ ab œcumenico concilio Vaticano tradita, definita ac declarata fuerunt, præsertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio. »

Etsi probabile est hanc professionem fieri posse per procuratorem, probabilius tamen est, promotum teneri personaliter. Ratio est, quia alias non videtur fieri satis juramento, quod personaliter faciendum est. S. Lig., lib. II, n. 11.]

DISSERTATIO IV

DE HABITU ET SUBJECTO FIDEI

D. Thomas, qq. 4 et 5.

ARTICULUS I

De habitu fidei

Petes 1^o utrum fides recte definiatur ab Apostolo, Hebr. xi, 1: Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.

Resp. 1^a hanc definitionem, quamvis verba non ordinentur sub forma definitionis, esse legitimam, quia continet

1. Hic q. 4, a. 1, o.

omnia quæ pertinent ad fidei definitionem, ut patebit ex sequenti explicatione.

Dicitur *substantia*, græce *hypostasis* seu subsistentia : partim quia fides est inchoatio, bāsis et fundamentum spei nostræ ; substantia enim est substratum omnibus qualitibus : partim quia facit res sperandas subsistere in nostro intellectu, ac eis tam certo assentire, ac si essent præsentēs.

Dicitur *argumentum non apparentium*, sumpto argumento pro ejus effectu, seu, ut habet alia littera, *convictio* ; sicut enim argumentum inducit intellectum ad inhærendum alicui vero, ita per fidem intellectus firmiter adhæret veritatibus non apparentibus, propter auctoritatem Dei revelantis.

Dicitur, *non apparentium* : tum quia objectum fidei est non visum ; tum ut significetur plura ad fidem pertinere quæ non sperantur, ut sunt bona præterita et mala peccatoribus obventura, v. g., infernus.

Per hanc definitionem fides distinguitur ab omnibus aliis habitibus intellectualibus. Per hoc quod dicitur, *substantia rerum sperandarum*, distinguitur a fide humana, quæ non ordinatur ab beatitudinem speratam. Per *argumentum*, distinguitur ab opinione, suspitione et dubitatione. Per *non apparentium*, distinguitur a scientia et intellectu primorum principiorum.

Si quis ergo hæc verba in formam definitionis reducere velit, potest dicere ¹ quod fides sit « habitus mentis quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum firmiter assentire non apparentibus, propter auctoritatem Dei revelantis. » Et hæc definitio coincidit cum hac altera, quæ communiter circumfertur : « Virtus divinitus infusa, per quam intellectus firmiter assentitur iis quæ a Deo revelata sunt, propter ipsius revelantis auctoritatem. »

[Petes 2^o utrum fides informis sit virtus.

1. Ibid.

Notandum formam ultimam fidei, sicut et cæterarum virtutum, esse charitatem. Charitas vero non est forma intrinseca et essentialis fidei ¹, sed est forma extrinseca et accidentalis, quatenus per charitatem fides, sicut omnes aliæ virtutes, ordinatur ad ultimum finem supernaturalem, sicque ex charitate habet quod ejus actus sit perfectus et meritorius. Hoc posito,

Resp. Fides est per se vera virtus, sed imperfecta.

Prob. prima pars. 1^o Quia est principium boni actus determinans intellectum ad assentiendum veritatibus revelatis. Unde, quamvis non faciat habentem simpliciter bonum in genere moris, quod est proprium virtutis perfectæ, facit tamen bonum in suo genere, scilicet intellectivo. 2^o Quia competit ei definitio virtutis. Est enim bona qualitas mentis, qua bene vivitur, scilicet principium boni actus, et qua nemo ut principio malo utitur. 3^o Est idem habitus cum fide formata ; nam charitas hunc habitum non creat, sed eum perficit tantum extrinsece et accidentaliter. 4^o Præcepta non dantur nisi de actibus virtutum. Datur autem præceptum de actu fidei informis, ut patet *Hebr.*, xi, 6 : *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Porro accedens ad Deum nondum ei perfecte unitur ; quæ unio non fit nisi per charitatem. Ergo.

Prob. secunda pars ² ; quia fides informis non facit hominem simpliciter bonum. Licet enim sit principium actus boni, non tamen hic actus est meritorius in ordine ad finem ultimum, scilicet ad vitam æternam, sicque fides non habet statum et modum perfectæ virtutis.]

Petes 3^o utrum fides sit certior omnibus cognitionibus naturalibus.

Resp. Fides est certior, quoad se, omnibus cognitionibus naturalibus, non quoad nos.

Prob. prima pars ³. Fides habet certitudinem ex divina

1. Ibid., a, 3, o et ad 2. — 2. Ibid., a, 5, ad 3. — 3. Ibid.

veritate, quæ falli non potest, et quæ veritatibus revelatis certo applicatur per Ecclesiam infallibilem. Cognitiones vero naturales habent certitudinem ex naturali lumine rationis, quod, quamvis objectum circa quod versatur quandoque sit certum, est tamen per peccatum tenebris involutum et errori obnoxium, nec certum an recte rebus apprehensis applicetur. Ergo.

*Prob. secunda pars*¹. Illud dicitur magis certum quoad nos, quod intellectus plenius consequitur, quod est illi magis connaturale et proportionatum, quodque ipsum magis satiat et quietat, licet aliunde minus certo assentiatur. Atqui cognitiones naturales sunt magis connaturales et proportionatæ intellectui humano, magis ab ipso penetrantur, magis ipsum satiant et quietant propter rerum evidentiam, in qua ultimo quiescit intellectus humanus, quam fides, quæ est de obscuris et inevidentibus: unde fit quod, quamvis ex parte motivi sit certissima, patiatur tamen ex parte subjecti quosdam motus indeliberatos dubitationis, propter debilitatem ingenii nondum videntis veritatem. Ergo.

Petes 4º utrum fides sit discursiva.

Resp. negative; quia, sicut eadem visione videmus colorem et lucem, sic eodem actu assentimur rei revelatæ et revelationi; objectum enim fidei est res revelata, non materialiter, sed formaliter ut revelata. In discursu autem, assensus principiorum realiter distinguitur ab assensu conclusionis.

[*Petes 5º* utrum fides sit libera.

Resp. affirmative, ex concilio Vaticano ita definiente: « Si quis dixerit, assensum fidei christianæ non esse liberum, sed argumentis humanæ rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quæ per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit. »]

1. Ibid.

ARTICULUS II

De habentibus fidem.

Dico 1º: Fides remanet in peccatore qui non committit peccatum infidelitatis.

Prob. 1º ex Apost., I Cor., XIII, 2, ubi dicit: *Si habuero omnem fidem..., charitatem autem non habuero, nihil sum.* Quibus verbis aperte supponit charitatem posse separari a fide remanente, sicque fidem posse esse in peccatore.

2º Ex Trid., sess. VI, can. 28, sic definiente: « Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet non esse veram fidem, licet non sit viva...; anathema sit. » Unde hæc conclusio est de fide. Huc facit hæc propositio 12ª ab Alexandro VIII damnata: « Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana, » Item hæc 52ª Quesnelli: « Omnia alia salutis media continentur in fide, tamquam in suo germine et semine; sed hæc fides non est absque amore et fiducia. »

3º Ratione. Non omne peccatum est contrarium fidei, nec destruit rationem formalem objecti ipsius: sic qui furatur, non ideo desinit credere Deum esse primam et infallibilem veritatem in dicendo. Ergo.

Quando autem SS. Patres dicunt non esse fidem aut ullam virtutem sine charitate, loquuntur de fide viva et virtutibus in esse perfecto, ut jam monuimus.

Dico 2º: In dæmonibus et damnatis non remanet fides infusa et supernaturalis¹.

Prob. Dæmones et damnati sunt spoliati omnibus donis gratuitis, præsertim iis quæ ordinantur ad beatitudinem, quam nec sperant, nec sperare possunt. Atqui fides est donum gratuitum ex sua natura ordinatum ad beatitudi-

1. Hic q. 5, a, 2, o, et ad 2.

nem; est enim, secundum Apostolum, *Hebr.*, xi, 1, *operandarum substantia rerum*, et secundum Tridentinum, sess. vi, cap. 8, « initium salutis, radix et fundamentum justificationis. » Ergo.

Confir. Ad fidem supernaturalem requiritur pia motio voluntatis, seu bonus affectus credulitatis erga primam veritatem revelantem. Atqui nulla est in dæmonibus et damnatis pia motio voluntatis, nulla bona voluntas, quippe quæ est firmata in malo, et quamvis id quod agunt sit quandoque ex objecto proximo bonum, illud tamen semper agunt ex prava intentione finis, sicque est semper malum.

Dices: 1° *Jacob*, ii, 19, dicitur: *Dæmones credunt, et contremiscunt*. Ergo. 2° Dæmones et Christiani damnati cognoscunt in inferno veritates supernaturales quas cognoverunt in via. Atqui has veritates supernaturales cognoscere non possunt nisi per fidem, quæ sola est supernaturalis inter virtutes intellectuales. Ergo.

Resp. ad primum. Dæmones credunt fide infusa ex pia motione voluntatis, *nego*; fide naturali et quodammodo coacta, tum ex evidentia signorum quæ perspicaci mentis acumine penetrant, tum miserabili experientia qua Deum vindicem sentiunt, *conc.* Neque refert quod S. Jacobus comparet eorum fidem cum fide peccatorum, quæ est vera fides infusa; tenet enim comparatio, non quoad utriusque fidei naturam, sed quoad utriusque sterilitatem, quia neutra sufficit ad salutem, cum utraque sit sine operibus. Solutio patet ex textu.

Resp. ad secundum. *Nego* min. Fides enim qua dæmones et damnati credunt et cognoscunt veritates supernaturales, licet dici possit supernaturalis ex parte objecti, est tamen naturalis ex parte motivi seu principii; est enim acquisita vel ex statu viæ, vel ex rerum eventu, vel ex prophetiis impletis, vel ex pœnis quas sentiunt: sicut, si quis ex motivo mere naturali, puta ex relatione parentum aut alicujus viri docti, crederet mysteria nostra, licet hujus fidei objectum foret supernaturale, ipsa tamen in se et ex parte principii foret naturalis.

Dico 3°: Fides non remanet in beatis¹, bene tamen in animabus purgatorii.

Prob. prima pars. 1° Ex Apost.² *I Cor.*, xiii, 9 et 10, dicente: *Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*. Id est, cum venerit visio, evacuabitur fides. Et *II Cor.*, v, 6 et 7: *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus, et non per speciem*. Unde Aug., lib. XIV *de Trinit.*, c. 2, n. 4: « Neque enim, inquit, jam fides erit [in patria] qua credantur quæ non videntur, sed species qua videantur quæ credebantur. »

Prob. 3° 2°. Destructo objecto formali fidei, non subsistit fides. Atqui in beatis destruitur objectum formale fidei; est enim objectum formale fidei prima veritas non visa, quæ intuitive videtur a beatis. Ergo.

Hinc manet probata secunda pars. Animæ enim in purgatorio (idem dicendum de Patribus qui erant in limbo), nondum fruuntur visione beata, sicque remanet in ipsis objectum formale fidei, scilicet prima veritas non visa. Adde quod sperent beatitudinem; fundamentum autem spei est fides, cum nemo speret beatitudinem, nisi credat se posse illam adipisci.

Dico 4°: Fides sive habitualis sive actualis non remanet in hæretico qui vel unum tantum fidei articulum pertinaciter discredit⁴. Est communis cum Authore, contra paucos.

Prob. 1° Apost., *Galat.*, v, 4, iis qui sustinebant observantiam legalium esse necessariam ad salutem, dicit: *Evacuati estis a Christo*, id est a Spiritu fidei, ut explicat versu sequenti. Tridentinum, sess. vi, cap. 13: « Asserendum est, inquit, non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, etc. » Quælibet autem hæresis, etiam circa unum tantum articulum, est infidelitas.

Prob. 2° ratione⁵. Cessante objecto formali a quo habi-

1. 1. 2^o, q. 67, a. 3, o. — 2. Ibid., in arg. *Sed contra*. — 3. Ibid., o. — 4. Hic q. 5, a. 3, o. — 5. Ibid.

tus et actus specificantur, cessant et destruuntur habitus et actus. Atqui in hæretico qui pertinaciter negat vel unum articulum fidei, cessat objectum formale fidei tam habitualis quam actualis. Ergo. — Prob. min. Objectum formale fidei sive habitualis sive actualis, est prima veritas in dicendo, ut manifestata per Ecclesiam. Atqui qui negat pertinaciter unum articulum fidei, non credit alios quos tenet propter primam veritatem, ut manifestatam per Ecclesiam, alioquin et hunc quem negat crederet, cum sit etiam, sicut alii, revelatus a prima veritate et propositus ut talis ab Ecclesia; sed hunc rejicit et illos tenet ex proprio iudicio et propria electione. Unde Aug., lib. XVII *Cont. Faust.*, c. 3, alloquens Manichæos: « Qui, inquit, in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quam Evangelio creditis. »

[Advertendum itaque quod, licet fides ex parte objecti sit totum integrale constans partibus, quatenus respicit plura a Deo revelata, in ratione tamen habitus et qualitatis est una et simplex in unoquoque credentium, cum inelinet ad assentiendum pluribus sub uno indivisibili motivo, scilicet propter primam veritatem in dicendo, unde hic habitus totus et integer perit in hæretico. Quod si contingat hæreticum post hæresim eadem facilitate et firmitate credere articulos quos adhuc tenet, ac ante, id contingit quia hæretici eadem firmitate et facilitate credunt, non solum articulos fidei, sed etiam suos errores, ita ut aliquando pro iis asserendis moriantur. Firmitas ergo provenit ex sola pertinacia voluntatis, facilitas autem ex habitu fidei acquisito, sive, juxta aliquos, per actus præcedentis fidei, non qua supernaturales, sed qua vitales; sive, juxta alios, per actus fidei naturales ex parte principii, licet supernaturales ex parte objecti; sæpe enim fidelis, vel ex instructione parentum, vel ex doctrina catechistarum, vel ex consuetudine, non attendendo ad primam veritatem revelantem, elicit actus qui, cum sint naturales ex parte principii, generant habitum pariter naturalem, qui remanet in hæresi. Habitus autem fidei

supernaturalis destruitur ad destructionem sui objecti formalis. Cum ergo hæreticus, negans unum fidei articulum, neget primam veritatem, et per hunc actum physice destruat in suo intellectu objectum fidei, eodem modo destruit mediate habitum fidei.]

ARTICULUS III

Utrum vera religio falsas tolerare possit.

[Latitudinarii, sub specioso prætextu mutæ concordie inter omnes Christianos ineundæ, contra Catholicos acriter insurgunt, quod sua intolerantia dissensiones foveant, et impie contendunt, cum omnibus illis communionem esse habendam, qui quocumque modo divinam revelationem receperint, quamvis aliqua tantum eorum quæ in ea continentur receperint, quos fide licet dimidiata, non secus ac Catholicos, salutem consequi posse asserunt. Atque hinc orta absurda distinctio articulorum fidei in fundamentales et non fundamentales, in quibus tamen assignandis ne ipsi quidem adhuc inter se convenerunt. Ex his autem quæ dicta sunt patet, quam impie hæc proponantur: sine fide enim impossibile est placere Deo, et vitam æternam consequi; fides autem dimidiata nullimode fides divina dici potest. Nam, ut dicit Apost., II *Cor.*, VI, 15, *quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* Itaque

Dico 1^o: Vera religio nullam aliam religionem a se diversam tolerare potest, atque intolerantia veræ religionis proprius character esse debet.

Ante probationem, suppono veram religionem unam tantum esse posse, in quo tum Latitudinarii, tum alii sectarii consentire debent, cum, ipsis fatentibus, ea est vera religio quæ divinam sequitur revelationem, quæ innititur veracitati Dei revelantis, qui nec fallere nec falli potest. Illa igitur tantum est vera religio, quæ divinam revelationem ea qua par est ratione sequitur. Itaque, si aliqua reli-

gio in admittendis revelatis excedat vel deficiat, aut admittat quæ vera non sunt, aut non admittat quæ vera sunt, ipsa non potest esse vera. Sicut ergo, si verum falso misceatur, verum esse desinit, et simpliciter verum amplius dici non potest; ita, si dogmatibus veræ religionis falsa misceantur, vera religio esse desinit, et simpliciter vera amplius dici non potest.

Prob. itaque conclusio. Tolerantia quamdam consociationem secum affert. Atqui vera religio nullam consociationem habere potest cum dogmatibus alterius religionis a se diversæ, ut patet ex allata suppositione. Ergo vera religio nullam religionem a se diversam tolerare potest. Imo, sicut veritatis propria nota est nullam cum errore consociationem admittere, ita etiam proprius character veræ religionis esse debet intolerantia cujusvis alterius religionis.

Non inde tamen sequitur, sicut Latitudinarii effutiunt, quod hominum animi inter se dividantur, unusque alteri inimicus evadat. Catholici enim præceptum Christi, ut eos quoque diligant a quibus mala acceperunt, suæ menti propositum habent. Eadem ergo ratione se gerere debent erga illos a quibus, quamvis alia ac ipsi dogmata sequantur, nullum detrimentum accipiunt. Istorum quidem errores odio habentur ab iis qui veram christianam religionem profitentur, eosque, si possent, in viam salutis atque veritatis revocare vellent; at in hoc tantum abest ut animi alieni vestigia aliqua occurrant, quin potius evidentissime apparet, nihil magis eis cordi esse, quam veram solidamque utilitatem illorum procurare. Quis ignoret, jam inde usque ab Ecclesiæ initiis, veræ religionis professores quantopere quantisque cum suis periculis barbaros atque infideles ad Dei cognitionem et ad salutem æternam adducere curaverint, et curent? Quod cum faciunt, hominum a se de religione dissidentium salutem, etiam cum impendio suæ vitæ, inserviunt.

Dico 2^o: Falsæ religionis ea conditio est, ut quoad dogmata consociationem cum aliis religionibus a se diversis inire possit.

Prob. Licet veritas cuique falsitati opponatur, non item falsitas, et nihil obstat quin duo æque falsa inter se consocientur. Et revera, si semel statuatur divinam revelationem a divina autoritate procedere, et tamen posse ab aliquibus Christianis rejici aliqua revelata, quomodo damnari poterunt qui alia divinitus tradita et revelata contempserint atque rejecerint? Quo enim jure quis utitur, et aliis etiam eodem uti permittat, necesse est. Atque hinc non solum ethnici aliarum religionum superscriptiones in suam introduxerunt, sed etiam Christiani qui a fidei veritate declinaverunt, vel omnes omnino sectas, vel saltem aliquas tolerandas esse statuerunt; et sola vera religio Christiana quoad dogmata nullam cum aliis sectis consociationem inire posse censuit.

Objicit Lockius, sufficere ad salutem æternam, ut credamus Christum esse Messiam et Dei Filium, idque probare conatur pluribus sacræ Scripturæ testimoniis, in quibus hoc Christus ab omnibus exegit. Atqui omnes pene hæreticorum sectæ admittunt hoc fidei dogma. Ergo.

Resp. cum *dist.* Christus hoc primo ab omnibus exegit, ut se verum Dei Filium esse crederent, et Apostoli maxime solliciti fuerunt ut id omnibus primo persuaderent, *conc.*; Christus exegit hujus tantummodo dogmatis fidem, *nego.* Christus, uti Dei Filius, novam legem promulgaturus advenerat. Ut igitur firmaret suam autoritatem, qua erat Dei Filius, id primo curare debuit, ut omnes se Filium Dei esse crederent, idemque etiam Apostoli contenderunt. Est itaque Christi divinitas velut basis et fundamentum evangelicæ revelationis. Nonne tamen ipse Christus voluit ut cæterorum quoque omnium quæ tradidit cuncti fidem haberent? Præcepit Apostolis ut quæ ab ipso audierant omnes docerent, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. *Marc.*, 1, 15, Christus dicit: *Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei, pœnitentini et credite Evangelio.* Post resurrectionem, præcepit Apostolis, *Marc.*, xvi, 15: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creature. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Et Apos-

toli præceptis obtemperantes, *perfecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis, ibid., 20.*

Objiciunt Latitudinarii, cum Bayle, Rousseau et Voltaire : Dicendum non est unum præ altero magis revereri Deum, si unus præ altero S. Scripturam melius intelligat ; sed satis est ut utrique S. Scripturam sicut regulam admittant, quamvis unus eorum in particulari et per errorem a Dei voluntate recedat. Sicuti enim qui S. Scripturam accipit eo sensu quo debet, ideo hunc sensum accipit, quia verum eum esse putat, non quia in se est verus, et quia, si alium acciperet, Deo se displicere crederet ; ita qui S. Scripturam in falso sensu accipit, hunc sensum præfert, non quia falsus est, sed quia verus ipsi videtur, et se displicere Deo existimat, si in alio acciperet. Ergo qui sequitur S. Scripturæ sensum quem verum esse putat, Deo placere et æternam salutem consequi potest.

Resp. quærendo a Latitudinariis an velint S. Scripturam esse regulam sensuum ipsorum hominum, an vero sensus hominum regulam S. Scripturæ ? Si S. Scriptura, uti revera esse debet, est regula sensuum hominum, eique homines in suis sensibus se accommodare debent, turpissime fallitur qui sensum ejusdem non assequitur, et eam aliter quam debet intelligit. Regula enim est norma cui conformari oportet, illi subjici et ab ea pendere, sicut mensura est norma mensurati, non vero mensuratum norma ipsius mensuræ. Numquid æque reveretur suum legislatorem, tam qui legi promulgatæ non solum venerationem adhibet, sed præterea studio et diligentia legitimum ejus sensum assequitur, et secundum eam operatur, quam qui legem uti regulam generatim reveretur, at, propter suam malitiam, obstinationem et culpabilem ignorantiam, non assequitur ejus sensum, et contra eam agit ? Tunc ergo verus sensus S. Scripturæ tribuitur, quando est conformis menti Dei loquentis, nec ideo est verus, quia qui eum recte intelligit putat esse verum, sed quia in se rectus est et conformitatem cum Deo loquente habet. Requiritur quidem, ad deceptionem vitandam, ut is sensus verus quo-

que esse putetur, non ideo tamen verus evadit, quia talis esse putatur. Inde vero est ut qui falsum sensum S. Scripturæ tribuit, quamvis ipse verum eum esse putet, verum tamen non tribuat, nec ejus falsa existimatio illum reddit menti Dei loquentis conformem. Nec refert quod Deo placere intendat tam qui recte, quam qui prave S. Scripturam intelligit ; qui enim adhibuit omnem diligentiam ut verum Scripturæ sensum assequeretur, adeoque assecutus est, revera Deo placet : at qui, propter suam malitiam, obstinationem, culpabilemque ignorantiam, verum Scripturæ sensum assecutus non fuerit, licet se Deo placere putaverit, falso tamen ac impie putavit.]

ARTICULUS IV

Utrum fides rationem naturalem excludat ?

Resp. Nedum fides rationem naturalem excludat, eam potius relevat, illustrat et firmat.

Prob. Fides rationem naturalem non potest excludere, nisi sit ei contraria et ejus exercitium impediatur. Atqui nullo titulo fides est rationi contraria, sed, ex adverso, perfecta analogia inter utramque existit ; nec fides exercitium rationis impedit, sed tantum, ut lumen superius, illam relevando, illustrando et firmando, ei vires addit. Ergo eam non excludit.

Utraque pars minoris decretorie et luculenter fuit explicata et demonstrata a synodo Vaticana, in constit. *Dei Filius*, cap. 4, de *Fide et Ratione* : « Hoc perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum : principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus ; objecto autem, quia præter ea ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quæ, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea

quæ facta sunt cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quæ per Jesum Christum facta est, Joann., 1, 17, pronuntiat : *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus sæculi cognovit... , nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum ; Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei, I Cor., II, 7-10. Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit hæc a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis, Matth., XI, 25.*

» Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quærit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum quæ naturaliter cognoscit analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo ; nunquam tamen idonea redditur ad ea percipienda instar veritatum quæ proprium ipsius objectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contacta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino ; *per fidem enim ambulamus, et non per speciem, II Cor., v, 6 et 7.*

» Verum, etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest, cum idem Deus qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit ; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus¹. Porro Ecclesia, quæ una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit

1. Concil. Later. V, bulla *Apostolici regiminis*.

fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam prohibendi, ne quis decipiatur *per philosophiam et inanem fallaciam, Coloss., II, 8.* Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones quæ fidei doctrinæ contrariæ esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimæ scientiæ conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem præ se ferant, habere tenentur omnino.

» Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat, fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturæ obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit : fatetur imo eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectæ sunt, ita, si rite pertractentur, ad Deum, juvante ejus gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat ne hujusmodi disciplinæ in suo quæque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo ; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne, divinæ doctrinæ repugnando, errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressæ, ea quæ sunt fidei occupent et perturbent.

» Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsæ tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiæ specie et nomine, recedendum. Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapien-

tia : sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia¹. »

Hanc analogiam et concordiam fidei cum ratione naturali demonstraverat Angelicus in I *Contra gentes*, cap. 7 : « Illud idem, inquit, quod inducitur in animam discipuli a docente, doctoris scientia continet, nisi doceat fiete ; quod de Deo nefas est dicere. Principiorum autem naturaliter notorum cognitio nobis divinitus est indita, cum ipse Deus sit author nostræ naturæ. Hæc ergo principia etiam divina sapientia continet. Quidquid igitur principiis hujusmodi contrarium est, est divinæ sapientiæ contrarium. Non igitur a Deo esse potest. Ea igitur quæ ex revelatione divina per fidem tenentur, non possunt naturali cognitioni esse contraria... Ex quo evidenter colligitur, quæcumque argumenta contra fidei documenta ponantur, hæc ex principiis naturæ inditis, per se notis, non recte procedere. Unde nec demonstrationis vim habent, sed vel sunt rationes probabiles, vel sophisticæ, et sic ad ea solvenda locus relinquitur. »

De relationibus fidei cum ratione naturali, sequentes canones edidit prædicta synodus Vaticana. *De fide* : 1. « Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit ; anathema sit. » — 2. « Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter autoritatem Dei revelantis credatur ; anathema sit. » — *De fide et ratione* : 1. « Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari ; anathema sit. » — 2. « Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinæ revelatæ adversentur, tamquam veræ retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint ; anathema sit. » — 3. « Si quis dixerit, fieri posse ut dogmatibus ab Ecclesia propo-

1. Vincent. Lirin., *Commonit.*, n. 28.

sitis aliquando, secundum progressum scientiæ, sensus tribuendus sit alius ab eo quem intellexit et intelligit Ecclesia ; anathema sit. »

Ut compertum sit quanta sollicitudine Ecclesia catholica dignitati et juribus rationis humanæ tuendis semper invigilaverit, juvabit hic adjicere quatuor propositiones quibus fuit repressus nimius ardor aliquorum qui, in gratiam fidei, rationem plus æquo depresserant. A sacra Congregatione Indicis exaratæ die 11 junii 1855, fuerunt approbatæ, die 15 ejusdem mensis, a Pio IX, qui eas publicari mandavit.

1° « Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio, nullum dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambæ ab uno eodemque immutabili veritatis fonte, Deo Optimo Maximo, oriantur, atque ita sibi mutuam opem ferant. » — Ex Encyclica Pii IX, 9 novemb. 1846.

2° Ratiocinatio Dei existentiam, animæ spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest. Fides posterior est revelatione, proindeque ad probandum Dei existentiam contra atheum, ad probandum animæ rationalis spiritualitatem ac libertatem contra naturalismi ac fatalismi sectatorem, allegari convenienter nequit. » — Subscripta a D. Bautain, 8 sept. 1840.

3° « Rationis usus fidem præcedit, et ad eam hominem ope revelationis et gratiæ conducit. » Subscripta ab eodem, eadem die.

4° « Methodus qua usi sunt D. Thomas, D. Bonaventura et alii post ipsos scholastici, non ad rationalismum ducit, neque causa fuit cur apud scholas hodiernas philosophia in naturalismum et pantheismum impingeret. Proinde non licet in crimen doctoribus et magistris illis vertere, quod methodum hanc, præsertim approbante vel saltem tacente Ecclesia, usurpaverint. » — Hæc propositio diversis propositionibus a D. Bonnetty professis opponitur.

Qui plura desiderat de relationibus rationis cum fide,

adeat P. Perrone, *Prælect. theol., De analogia rationis cum fide.*]

DISSERTATIO V

DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS

D. Thomas, qq. 10, 11, 12 et 13.

ARTICULUS I

De infidelitate in communi

Infidelitas in communi est carentia fidei¹. Et est vel negativa, vel privativa, vel contraria. Infidelitas negativa est carentia fidei in eo qui nihil audivit de fide, vel non audivit sufficienter. Privativa est carentia fidei in eo qui audivit sufficienter de fide, et non vult ei assentiri, absque eo tamen quod contrarium asserat. Contraria est carentia fidei in eo qui sufficienter de fide instructus, non solum detrectat illam amplecti, sed etiam contrarium asserit, et errorem positivum contra fidem sustinet.

Petes 1^o utrum infidelitas sit peccatum.

Resp. 1^o. Infidelitas mere negativa non est peccatum, sed pœna peccati².

Prob. 1^o Christus, *Joann.*, xv, 22, dicit de Judæis: *Si non venissem et locutus fuisset eis, peccatum non haberent.* Quod exponens Aug., *Tract. LXXXIX in Joann.*, dicit quod Christus loquatur de peccato quo non crediderunt in Christum. Infidelibus autem negative Christus neque per se, neque per suos ministros locutus est, saltem sufficienter. 2^o Nemo peccat omitendo quod facere non potest. Atqui qui nihil audiverunt de fide, aut non audiverunt sufficienter, non possunt credere, juxta illud, *Rom.* x, 14 :

1. Hic q. 10, a. 1, o. — 2. Ibid.

Quomodo credent ei quem non audierunt? Perinde est ac si diceret: « Credere non possunt. » 3^o Hæc propositio 68^a inter Baianas: « Infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est, » damnata est a S. Pio V, 1 oct. 1567, Gregorio XIII, 29 januar. 1579, et Urbano VIII, 6 mart. 1641.

Resp. 2^o. Infidelitas privativa et contraria est peccatum¹. 1^o Quia nemo condemnatur, nisi propter peccatum. *Qui autem non crediderit, condemnabitur, Marc.*, xvi, 16. 2^o Quia fides est medium necessarium ad salutem. Ergo is cui sufficienter proponitur, tenetur eam acceptare.

Petes 2^o utrum omnia opera infidelium sint peccata.

Resp. negative². Hanc quæstionem ex professo expendimus in *tract. de Gratia*, dissert. III, § 1. Require ibi.

Petes 3^o quot sint species infidelitatis.

Resp. tres communiter assignari, nempe paganismum, judaismum et hæresim³. Quia peccatum infidelitatis consistit in renitendo fidei. Tripliciter autem quis potest reniti fidei. Vel enim renititur fidei quam nondum professus est se suspicere ut veram, et est infidelitas paganorum, qui sic dicti sunt a pagis in quos ab urbibus, mandato imperatorum Christianorum, expulsi, se recipiebant, ut colerent sua idola: antea gentiles dicebantur. Vel renititur fidei quam professus est in figura, et est infidelitas Judæorum. Vel tandem renititur fidei quam professus est in manifestatione veritatis, et est infidelitas hæreticorum.

Dixi: « Quam professus est se suscipere; » quia ad judaismum vel hæresim videtur non requiri quod revera susceperit fidem in figura vel veritate manifestata, sed sufficere si exterius professus fuerit se suscipere. Unde infantes hæreticorum non baptizati, qui ideo nunquam fidem susceperunt, dicuntur hæretici, eo quod secundum æstimationem profiteantur cum parentibus fidem Christi. Item Ariani et Paulinianistæ, quamvis non vere baptizati, propter eandem rationem dicebantur a conciliis hæretici.

1. Ibid. — 2. Ibid., a, 4, o. — 3. Ibid., a, 5, o.